

Q.K.
379
17

(X-1904123)

De vita, rebus gestis, ac obitu

STEPHANI PRI
MI REGIS POLONIÆ,

ORATIONES DVÆ.

Prior,

CHRISTOPHORI ~~W~~VARSE-
wicij, nobilis Polonj.

Alter,

CHRISTOPHORI STVRTZII,
nobilis Linonj, J. V. D.



ROSTOCHII

Stephanus Myliander excudebat.

Anno MD CXXVII.

MARTINO CROMERO

Episcopo Varmienfi,

CHRISTOPHORVS VARSEVICIVS

S. D.

MITTO tibi laudationem meam, nescio qua laude dignam, scriptam quidem maiorum more, sine ulla (ut mihi videtur) suspitione, tam assentationis, quam aculeorum etiam minimorum. Quod & ipsum te in Sigismundi I. Regis funere video fecisse: & ingenuitatis referre gloriam, quam falsam aliquorum gratiam adulatione aucupari potius voluisse. Me quoque tot dominis, & regibus meis, ad funus usq; (ut ita dicam) deducendis, manebit opinor nomen constantiae: qui adeo non spem praemiorum apud vivos secutus, laudes etiam de mortuorum oratione persequi voluerim: nescio an sciuerim. Bene vale, decus & ornamentum patriae. Varsaviae, 18. Calend.

Ianuarij. anno Domini

LXXXVII.

CHRISTOPHORI VARSEVICII

In obitum STEPHANI I.

Regis Poloniae,

ORATIO.

Vixit Stephanus Rex, atque utinam & vivere diutius potuisset. Magna enim hominum iactura est, sed regum bonorum maxima. Quo me vertam? Quæ hoc loco verba faciam? Tali quippe rege laudando, cui deesse posset oratio? sed præ dolore vox & omnia me deficiunt. Cui ego parere non cupio ac debeo, ne si priuato dolori cessero, ingratus sim erga regem eum, cui nulla alia referri gratia amplius potest, nec vlla non debet. Qua tamen in re sic moderabor orationi meæ, ut nec veram laudem ei detraxisse, neque falsam videar affixisse. Vos interim oro, ut aura benignitatis vestræ è portu in altum euehatis hoc lene & demissum genus meum dicendi.

Natus est Stephanus Rex anno Christi supra mille quingentos, tertio & trigesimo, V. cal. Octob. sub Ioanne rege Hungariæ. Stephano Battoreo Palatino Transyluaniae patre, Catharina Thelegdia matre, auis & parentibus clarissimis, ut potè cuius aui frater germanus, Matthia in Hungaria regnante, sexaginta Turcarum millia, quæ in Transiluaniam irruerant, in campo vulgo dicto Panis, vna die profligauit. Fratres habuit germanos duos, Andream & Christophorum, hunc palatinum Transyluaniae à se factum, illum Isabellæ Reginae Hungariæ supremum palatii præfectum: quibus cum circa patrimonij partitionem coniunctissimè vixit, & hoc turbine ac tempestate Hungariæ, in Somlio, tanquam in quodam sacrario, religionem Catholicam sartam tectamque conseruauit.

Optimarum artium & humanitatis studia, domi primùm attigit, & in ijs tantos profectus fecit, vt maximam virtutis & ingenij sui expectationem apud omnes excitaret. Demum à domestica disciplina ad aulam Ferdinandi Romanorū & Hungarorum Regis profectus est; quem honoris ergo patrem patriæ sepius appellabat. Qua in aula, ob ingenij elegantiam, quanti fuerit, vel illud in multis argumento est, qd Catharinæ Ferdinandi filię, quę primùm duci Mantuæ, postea Sigismundo Augusto nostro regi nupserat, Mantuam ad maritum deducendæ honoris gratia adiungeretur. Magnus enim est honos in Principum versari comitatu, sed idem ille magnis viris etiam decoratur. Itaq; vidit ea occasione, orbis terræ decus, & reginam prouinciarum Italiam, in ipso flore iuuentutis. Nec expers erat omni ex parte tam Italici quàm Germanici sermonis: morum autem & cōsuetudinum externarū ita gnarus, ut ijs de rebus eum loquentem qui audiret, nemo non vehementer miraretur. Etenim cum literis & lectione, tum verò vsu & tractatione rerum, prudentia comparatur. Erat ille haud dubiè in literis versatus, Latinè vt scribere & loqui eleganter satis posset. Sed accedebat vsus rerum gerendarum multò præstantior, vt tot populorum moribus & vrbibus visendis, tot Principum aulis perlustrandis, tanquam ijs qui in sole ambulant accidit, omnia eius dicta & facta alijs audiendis & obseruandis, non potuerint non colorari. Neque enim hoc loco possum præterire, quod ex ipsius ore aliquando audiui: Venisse eum cum Ferdinando suo rege ad Augustana comitia, quæ Carolus V. Cæsar à Saxonico bello reuersus prima habuerat, & captum Ioannem Fridericum electorem secum adduxerat; & tum quidem Cæsarem suam ei dexteram in comitatu Ferdinandi porrexisse: demum & Reginam Mariam sororem Cæsaris, cum alijs proceribus Hun-

Hungaris, solenne epulum præbuisse : quæ natura & consuetudo reginæ illius fuerat, externos, maximè Hungaros, apud quos aliquândo regnauerat, honorandi causa. Quæ ego idcirco commemoro, vt summis cum viris & Principibus versatum fuisse eum sciamus : & qualis quantuscûq; semper habitus fuerit, agnoscamus. Pauci enim Reges sunt docti : pauciores apud externos versati : paucissimi vtroq; exornati. Iam verò ab his & eiusmodi (vt ita loquar) artibus & partibus Stephanus progressus, per omnes omnium honorum gradus, quò tandem peruenerit, videamus. Ludouico rege à Turcis ad Mohacium interfecto, duobus Regibus Ioanne & Ferdinando simul electis, ciuili bello exarsit Hungaria. In hoc bellum varia fortuna varijsq; temporibus gestum, patriæ suæ procella delatus, talem se præstitit, vt quarumcunq; tandem partium esset, hostibus terrori, suis verò admirationi esse, passim & vbiq; videretur. Quod tamen præter ætatem, & præter consuetudinem, nec opianti euenisse nemo dubitauit. Est enim virtutis vbiq; magna inuidia, sed inter suos maxima. Quo etiam fiebat, vt, cum germani fratres tres Somlii coniunctissimè (vt dixi) viuerent, & vnâ ac orthodoxam religionem vnâ animis amplecterentur, Mariani milites ab æmulis dicerentur. Quas nihilominus ipsorum voces, magno animo Rex contempsit, & mox inuidiam virtute superauit. Fuit enim (vt alia eius industriæ & virtutis signa taceam) fuit in Hungaria primus : qui cum multa alia, tum etiam candentes globos, mirum & alijs longè præsentius incendiolorum genus contra hostes inuenisset. Quæ res tantum ei nomen & bellicæ industriæ attulit existimationem, vt à Ioanne Vayuoda Transyluanie principe, breui post Varadino præficeretur & copias eius duceret, & summo deniq; in honore ab omnibus haberetur. Quo loco si quis fortè miretur,

A 3

cona-

conatibus & consilijs eius exitum non semper respondisse, is meminisse debet, magnorum virorum gestas res, inique euentis ponderari: ac ut valetudinem ijs chariorem esse, qui morbo graui & diuturno oppressi, à limine mortis reuerfi sunt, quam ijs qui optimè semper & æquabiliter valuerunt: sic & homines non solum triumphis, sed & offensionibus belli secura recordatione secum repetendis, aliquando magis recreantur. Fuit quidem Stephanus noster terra iactatus, & alto (quod aiunt) variam & instabilem fortunam diu expertus est, multa aduersa tulit, multa pericula adiit, sæpè manus cum hoste conseruit: à Nartendio in pugna quadam captus & compedibus iniectis malè est habitus. Ad Haddum contra Germanicas & Hungaricas Cæsaris copias infelicitè pugnavit, & vulnera penè lethalia aliquot accepit, qua ipsa die, aut Stephanum in acie casurum, aut eo superato malo, magnum aliquando principem futurum, quidam eius familiarium fortè prædixerat. Quid multa? vicit & victus est: fortunatus fuit: aduersos etiam casus aliquos habuit: cominus gladio, hasta eminus depugnauit: flauit & reflauit ei aura nonnunquam, quo ipso est eritque semper admirabilis: virtutem eius posteritas alet, fouebunt literæ, & nec edax ætas, neque vlla vnquam inobscurabit obliuio. Tanta enim est virtutis vis, tantaque species, ut vel hostes virtutis ipsi in admirationem virtutis rapiantur. Quid? tantumne, inquires, militaribus studijs Stephanus deditus fuit? Imò verò & legationibus functus est honorificis, & fidem industriamque suam patriæ probauit. Ac primùm quidem ad Ferdinandum & Maximilianum Cæsares, demùm ad solum Maximilianum legatus fuit: in qua ipsa legatione ob turbatas se absente conditiones pacis, iussu Cæsaris Viennæ captus, & ultra biennium sub custodia est detentus. Gasparum Bekefchium eius rei authorem tradunt fuisse: cui cum Stephani virtus formidolosa esse cœpisset, ut à

Transylvania æmulum longius remoueret, aut etiam prorsus amoueret: qua auctoritate apud Transylvanum fuerat, Bathoreo legationem imponi curauit, & mox principis sui arma in Cæsarem vertit: vt, quod accidit, legato nihil eorum conscio periculum crearetur. Est enim proprium inuidiæ, eos circumuenire arte, quos non possit virtute superare. Illa tamen detentio, tantum âbest, vt maculam aliquam Stephano inureret, vt etiam optandum ei fuerit detineri, dummodo, cum virtutis & fidei suæ testimonio, in pristinam libertatem poneretur. Totum quidem illud detentionis suæ tempus optimis transmisit studijs, & tùm antiquitatis monumentis, tùm in aula Cæsaris summis viris & externis legatis cognoscendis. Inter quos etiam erat vnus Franciscus Crassinius, qui Sigismundi Augusti Regis Poloniae apud Cæsarem tùm orator; tandem verò Episcopus Cracouiensis factus, pro Stephano in libertatem asserendo magnopere laborauit. Mortuus est tandem Ioannes Transylvanus, Sigismundi Augusti Regis nostri sororis filius: cuius morte ad nouam noui Principis in Transylvania electionem, est peruentum. Erat tùm Spiræ in comitijs Bekefchius apud Cæsarem legatus, quem Transylvanus successorem sibi designare, & ille ad eius principatum iam pridem aspirare, multorumq; gratiam & fauores sibi aucupari non dubitauerat. Quapropter non temerè difficultatis aliquid ab æmulo habiturus visus est Bathoreus, cum subito eius virtus, non secus ac flamma quædam fulgere cœpit, & in adeundo principatu multis passibus Bekefchium superauit. est enim virtus & inuidia fumo & flammæ simillima & sicut ab inuidia ceu quodam fumo virtus initio obscuratur, sic dignitate auctus elucet tandem is, cui virtutis ergo meritò illa confertur. Electus est igitur Stephanus, non eblanditis, sed enucleatis suffragijs: non alicuius ope
aut

aut patrocínio, sed virtute, & ingenio suo admirando. Atq̃
híc tamen non cessauit Bekeschius: sed vel eo etiam Battoreo magis minari, ac nouas & perniciosas res audacter in
eum moliri vehementius cœpit. Quibus ille de consilijs
certior factus, præuenire quàm præueniri potius ratus, ar-
cem Bekeschij Fogarassum interceptit: eoq̃ ipso vix fuga
elapso, omnem illum Transyluania motum compescuit.
Nascentes enim domi seditiones, aut repente opprimendæ,
aut quouis alio consilio sunt potius auertendæ. Bonis exur-
tus fugatusq̃ Bekeschius, contulit se ad Maximilianum
Cæsarem, quem diu multumq̃ sollicitatum eò tandem
perduxit, vt ex præsidijs Hungaricis militum manus ei da-
retur: qua Transyluaniam repetere, & eius dominatu tan-
dem aliquando posset potiri. Sed neq̃ tùm conatibus eius
fortuna aspirauit: victus est graui & aduerso prælio: ac pri-
mùm quidem in Poloniam, mox in Hungariam Cæsaria-
næ ditionis se recepit, auxilijs omnibus vndequaq̃ despe-
ratis. Iam tum Battoreus rerum suarum securus, & ani-
mo ac existimatione auctus, non solùm de Transyluania
retinenda, sed de acquirenda quoque Polonia cogitabat.
Qua etiam de causa, pro comitijs electionis, legatos suos in
Poloniam misit, regiam dignitatem ob ordinibus regni
postulatum. Vidisses remmiram: cùm, Cæsare Maximilia-
no per Archiepiscopum Gnesnensem primùm renunciato,
frequens fremensq̃ nobilitas, Annam Iagelloniam, &
eius maritum Stephanum Battorem, regem nominauit.
Qui principiò quidem, Cæsaris legato Tiffenbachio à re-
gno suscipiendo eum dehortante, paulò hæsit, sed mox
suorum animos celeritate aduentus confirmauit. Venit
enim in Poloniam tùm, & cùm Anna Iagellonia matrimo-
nium iniiuit, diademaq̃ regni accepit, cùm Maximilianus
Cæsar ordinibus imperij Ratisponæ comitia indixisset, &
totus

totus in eo esset, ne imperij auxilijs nudatus, adeundæ Po-
loniæ spe frustraretur. Quæ utriusque consilia adeo pluri-
mi mirabantur, ea ut diuinitus proficisci non dubitanter af-
firmarent. Sic enim (ut dixi) Maximiliano celebranti co-
mitia mors obrepfit, quæ occulta quadam fatorum via hoc
regnum tranquillauit. Sub idem ferè tempus sua etiam
Polonica habuit Rex comitia Torunij : & morte Cæsaris
Maximiliani audita, ex incerto certum sibi regnum fecisse
iam videbatur : cum subito Gedanensis erupit tumultus,
nouitate rei atrox, motu grauis, inclinatione temporum
formidandus. Hunc tamen Stephanus Rex ita pacauit, ut
primùm quidem prælio Dersauensi Gedanenses fregerit,
demum & aliquot mensium obsidione presserit : ac tandem
interponentibus pro ijs se aliquot præcipuis Germaniæ
ducibus, ad officium reuocauerit. Quo eodem ferè aut pau-
lò superiori tempore, Bidgostiam, literis publicæ fidei non
impetratis, ad regem Bekeschius supplex venit, & non mo-
dò culpe veniam, sed egestati etiam suæ luculentum inuenit
perfugium. Tanta enim clementia Rex erga eum fuerat, et
tantum ei confidebat, ut aliquoties somno graui oppressus,
solum Bekeschium in penetralibus ædium circa se versari
proximè pateretur. Quæ tamen spes & de Bekeschio con-
cepta opinio minimè Regem fefellit, magnam verò man-
suetudinis laudem eidem attulit ad memoriam posteritatis
sempiternam. sed ad propositum reuertamur. Bellum Ge-
danense secuta sunt Varfauientia comitia, in quibus maxi-
ma post hominum memoriam pecunia impetrata, bellum
est decretum contra Ioannem Basilij filium, magnum Mo-
schorum ducem : cuius cum diu multumq; alias, tum verò
hoc Stephano regnante in Liuonia nobilitata est crudelitas.
Quem ille ita domuit, ut quemadmodum sua audacia, vi-
cinorum ignauia, paulò ante creuisse, sic Stephani regis vir-
tute,

B

tute,

tute, nostrorum verò fortitudine, animo & viribus concē-
disse videatur. Erant præterea superiori interregni tem-
pore, sine certo ordine ac ratione, à nobilitate vsurpata
quædam iudicia, quibus publicæ quieti & tranquillita-
ti cauebatur. Itaq; in iisdem illis Varfauiensibus comi-
tijs, ea iudicia denuò Rex firmavit, & prudentia sua cer-
tisq; legibus definiuit. Quo haud scio, si quid aut nobi-
litati beneficio gratius, aut nominis sui fama ad posterita-
tem transmittenda, facere potuisset illustrius. Nihil iustitia
est popolare magis, quæ paulò ante speratu quàm obtentu
facilior videbatur. Peractis Varfouix comitijs, & Geor-
gio Friderico Marchione Brandenburgensi in Prussia duce,
more & instituto maiorum, in fidem & clientelam regni
publicè & solenni cum cæremonia accepto, in Russiam sese
contulit: in cuius metropoli, Podkouam hominem Vala-
chum & obscurum, specie quadam militiæ, libertate & do-
micilio regni abutentem, pacemq; publicam perturbantem
capite truncari imperauit. Leopoli, cum maximarum rerū
cura & cogitatione distentus, integram penè æstatem tran-
segisset, Cracouiam est profectus: vbi magni Moschouix
ducis tumidos & sibi præfidentes audiuit legatos, cum mo-
derationis animi sui gloria, & admiratione omnium singu-
lari. Qui quidem animi tumor, tanto magis in Moscho,
& eius legatis est notabilis, quantò recentior erat victoria,
de numerofo eius exercitu parta: qui Vendam oppugnans,
à regijs copijs, cum Sueticis coniunctis, grauissimè fuit pro-
fligatus. Dimissis Moschi legatis, & externorum militū
conscribendorum ergò, certis turmarum præfectis in vici-
nas regiones ablegatis, tandem in Lituaniam profecturus,
venit Rex Varfauiam, atq; ibi mensis vnus spatium moratus
mox regina coniuge valere iussa, in eam ipsam discessit
Lituaniam, quam, ex quo in Poloniam venerat, nondum
atti-

attigerat: toto illo tempore agitans animo bellum, quod pro salute & dignitate Reipub. contra immanem & hæreditarium harum prouinciarum hostem administratum cupiebat. Deum immortalem, quanta tum in aduentu eius in Lituaniam lætitia, quanta gratulatio, quantus fuit concursus, quantum non dicam ordinum sed hominum inter se certamen, in eo actali Rege ad bellum omniratione iuuando atq; promouendo. Præstat enim ducis virtus & scientia vnus, magnis inconditis exercitibus. Hanc igitur Lituaniam Rex aduentu suo non tam recreauit quam auxit, non tam passibus quam victorijs perlustrauit. Primum autem Polociam à Moscho Lituaniis aliquando ademptam, aggressus est; ac vna & eadem expeditione Socolam, Sussam, Cozianam, Niescerdam, Crasnam, Vsiatam, hostiles arces & munitiones in potestatem suam redegit, Magna hæc & penè admirabilis vnus expeditionis erat victoria, autumnò Cracouiæ suscepta, hyeme in Lituania apparata, extrema & tempestuosa æstate in agro Polociensi confecta & terminata. Nam & in expugnatione Socolæ hostilium copiarum duces, Seremetus & alij sunt capti & aliquot Moschorum millia cæsa ad internecionem, nobiles quidam Palatini capti, Polocia ingens tormentarij pulueris & commeatus omnis generis vis ablata: totus deniq; ille Polocensis tractus, à quo non iam Lituaniæ, sed Vilnæ ipsi imminebat periculum, est recuperatus. Itaq; reuersus tandem est Vilnam cum triumpho Rex, & mox Grodnam, ac inde, ad conuentum habendum Varfauiam in viam se dedit: cùm Grodnæ Gasparum Bekeschium, graui antea morbo, & demum vigilijs apud Polociam confectum, non sine dolore amisisset. Iam verò Varfauiensibus comitijs ad gerendum & continuandum bellum pecunijs imperatis, multorumq; exterorum

Principum legatis auditis, in Lituaniam Rex rursus se recepit. Variè tum Moschus cum eo agere, & extrahendi temporis ergò, non tam oratores, quàm exploratores suos solebat ad eum ablegare. Quibus tamen artibus, & Moschi pollicitationibus circumueniri se non passus, adulto iam in Lituania vere, & virentibus campis, exercitum duxit ipse in expeditionem: vbi cum per inuia & immensa terrarum spacia iter fieret, pro se quisque sentiebat aliquid incommodi: ipse saltem Rex omnes omnium rerum temporumque iniurias patientissimè perferebat. Casnikos quidem ut peruenit, habita deliberatio est, vtrum Vielicolucos, an Smolenscum placeret proficisci: quæ hostiles vrbes seu munitiones pari interuallo distare videbantur. Tandem verò vincente omnium sententiâ, Vielicolucos est itum. qui paucorum dierum oppugnatione, Moschicis legatis inspectantibus, capti & in potestatem regiam sunt redacti: hominum millibus aliquot, qui obstinatius se defenderant, interfectis, magis furore Martis, quàm ira victoris. Quanquam violata à Moschis fide, nauata contra se eorum opera, quos captis munitionibus incolumes dimittebat, non poterat non vehementius commoueri. Ingrati enim id efficiunt; ut gratis etiam fons perennis benignitatis exarescat. Captis demum Vielicolucis, Neuelia, Zauolocia, & vniuersus Vielicolucensis ager in regiam peruenit potestatem. Lituania post multos annos Vielisio est aucta. De superbo denique hoste, ea est parta victoria, quæ omnium regum & populorum ora in nos conuertit, & huius regni gloriam penè inter mortuam excitauit. Erat paulò ante mortuus Regi frater Christophorus Transyluaniae princeps: post cuius mortem, Sigismundo eius filio impuberi, Amurates Turcarum Imperator, tributum dimidio maius imponere conabatur, sed regis nostri eius patruus auctoritas, tanta apud Turcam fuerat,

ut

vt æquiores se tandem ei præstaret, & nihil infestū in Transylvaniam moliretur. Quin etiam breui post idem, Ianiculam Valachia regulum, ob iniurias, quas vicina nobilitati intulerat, in Regis gratiam principatu spoliavit. Quo demum in Poloniam profugo, ac Leopoli capite truncato, Rex omnem Valachi prædam apud se retinuit, & aliquot Turcæ minaces legationes ad se missas, eam prædam repetentes dignitati suæ posthabuit. Imò verò & Teinia à Kozakis deleta, & aliquot castellis, in confinio contra Tartaros opportunè erectis, testatus est, quantum expediat Reipub. præstantem animo Regem, & bellandi gloria clarum, huic imperio præfigere. Etenim fortitudine regia, rerumq; à nobis gestarum fama, aliæ quoq; gentes & nationes, ut vel suspiciant, vel contemnant nos, facile commouentur. Iam ergo Vielicolucis & alijs locis præsidijs firmatis, noua quadam contagione morbi omnes tūm peruadente, per immensam Neueliensem sylvam, superatūq; difficillimam, in Lituaniam Rex contendit: & quoniam Varsoviae indixerat comitia, ad ea celebranda sine mora properauit. Erattū non nemo, qui à bello cessandum, & hostem pacis conditiones ultro petentem, castigatum, missum faciendum, dictitabat. Verum ille magno & excelso animo, hæc consilia reiiciens, aut Liuonam regno restituere, aut cum perfido & insidioso hoste, vel quouis tandem exitu, bellum voluit terminare. Est enim infida cum hoste pax, non pax, sed pactio maioris bellicæ tempestatis. Aggressus est ergo contra Moschum, & persecutus bellum tertium, ordinum summa consensione decretum, voluntate erga Rempub. iustum, principio paululum dubium, exitu tandem & victoria gloriosum. Progressus est magno ad Plescouiam cum exercitu: Ostrouiam, quæ illi oppugnanda prima se obtulerat, cepit; nec mora, & Plescouiam ipsam irruptione

B ;

per-

pertentaust. Dices, non omnium optimè id ei celsisse: & oppugnationem illam non suo modo, ordine, loco, tempore institutam & perfectam extitisse. Dices sanè quod velis, nec verò illud etiam negaueris, in re & arte bellica, multos multa opinari: cùm vero ad rem est ventum, nec quod sciunt posse, nec quod possunt velle perficere. Magnorum artificum opera exposita esse inuidiæ, non deesse vbiq; Phormiones: & facilius notare aliquem vitia etiam minima, quàm summorum hominum virtutem virtute exæquare. Nos quidem belli ipsius fructum & exitum videamus, qui talis est, vt Liuania prouincia; pro qua occupanda tam diu multumq; Moschus laborauit, tantos sumptus fecit, tantum sanguinis suorum hostiumq; fudit; eo nobis accederet: ille verò tottis animo & viribus frangeretur. Memini ego hunc ipsum Regem in castris ad Plescouiam (quem vtinam in cœlo beatum sic possim aspicere) memini, inquam, dicentem mihi, cùm in Sueciam legatum missurus, prius in locum tractandæ paci cum Moscho destinatum me ablegaret, decreuisse se, potius extrema pati, quàm vt in fraudem Reipub. vel tantillum in Liuania terræ, in qua Moschus vestigium faceret, ei relinqueretur. Perfectum igitur est, summa Dei Opt. Max. benignitate, cura & auctoritate sacrosanctæ sedis, auspicijs regis, fortitudine ducis, legatorum industria, inuicti exercitus tolerantia & perseuerantia, vt vniuersa, quæ Moscho parebat, Liuania nostræ fieret potestatis. Qua parta, geminatam legationem ad Regem Sueciæ affinem suum, mittere placuit, qua quod adhuc reliqui in Liuania erat, certis conditionibus sibi ab affine concedi Rex postulabat: & demùm his ita gestis, ad constituendam Rempub. totum se conuertit. Erat ab eo superioribus conuentibus postulatum, vt de modo & ordine electionis certi aliquid constitueret. Omnium quippe comitiorum
magnus

magnus est æstus, sed electionis maximus. Itaq; à bello victor reuersus, indixit Varſauia totius regni conuentum, & in ordinum deliberationem poſuit id, quod certa forma & ratione electionis perſcribenda, ad ſalutem & dignitatem Reipub. inprimis ſpectare iudicauit. Sed latere hic aliquid nonnulli ſuſpicabantur, infectiſq; rebus, tam ex illis quam ex proximè præteritis comitijs diſceſſum eſt, exemplo, vt mea quidem fert opinio, non ſatis ad poſteritatem commendato. Sunt enim parui animi, & inopis conſilij, friuolæ ſuſpiciones, argumentum: magno autem animo, multiplici conſilio Reſpublica gubernatur. Spe ſua fruſtratus Rex, clauum nihilominus non abiecit, ad quem diuino nutu & poteſtate erat poſitus, ſed eò etiam magis, quò pacto fidem & operam ſuam, laboranti Reipub. probare poſſet. Nulli vnquam rei & tempori indormiuit. Mahmetes primùm, deinde Aſchlan Cherei Tartarorum Cham eius regno imminebant: hos perterrit, & ad mittendam legationem adiegit: Podoliam, eorum armis obnoxiam, pacatiorem cultiorẽq; reddidit. Magnus Moſchorum dux eſt mortuus. Mox Haraburdam in Moſchouiam miſit, & gentis illius conſilia, penitioraq; omnia ſcire & perueſtigare contendit, ad mittendam deniq; ad ſe legationem Moſchouiam excitauit. nouas & pernicioſas res moliri Riga cœpit: hanc primùm literis, poſt & militibus ſuis ſic exterruit, vt per Curlandia ducem ſupplex veniam petere, & Grodnam ad Regem legationem mittere, non dubitaret. Multæ in Lituania & Liuania arces muniendæ erant: quoad melius potuit muniuit, & præſidio commeatuq; confirmauit. Salinae non ita multum pecuniarum cum in regnum veniſſet, inærarium importabant: has ferè dimidio auxit. Gedanenſes, Rigenſes qui ad pendendum portorium adduci poterant nunquam, hos adduxit. Vectigalia

lia regni accisa fuerant: hæc Marienburgensi, Grodnensi, Dorpatensi, Samborienſiſq; œconomia, tot prædijs & præfecturis ei adiunctis locupletauit. Venationes, quibus Lithuania claret, imminutæ videbantur, has circa Grodnam ita excoluit, vt toto orbe terrarum, plurimarum & diuerſiſſimarum ferarum venatus nusquam ſit maior & copioſior. Poſtremò, dimiſſis Grodna Moſchouiæ oratoribus, qui ad eum ſplendido & frequenti aduenerant comitatu, in eam curam totus incubuit, vt ſuo tempore & loco haberentur comitia: in quibus, quàm multa, honeſta, vtilia, neceſſaria decerni volebat, legationes eius, per omnia omnium regni prouinciarum municipia ſparſæ & dimiſſæ teſtantur. Iam verò quid ego de virtutibus eius multis & maximis loquar? Quid pietatem in Deum, charitatem in patriam, beneficentiam in omnes proferam? Quid iuſtitiam, quid fortitudinem, quid manſuetudinem, quid temperantiam eius commemorem? Maiora hæc ſunt, quàm vt non dicam mea, quæ minùs quàm mediocris eſt, ſed eloquentiſſimi etiam cuiuſq; viri par eſſe poſſit iſs oratio. Infer oculos in omnes regni huius partes? Cracouiæ, Vilnæ, Lublini, Polociæ, Claudiopoli, Societatis Ieſu templa & gymnafia, ab eo partim fundata, partim locupletata intuerè: quibus omnibus clariſſima extant veſtigia erga Deum Opt. Max. illius ardentſſimæ pietatis: Amor verò erga hanc Remp. quantus fuerit, commodiſq; & ornamentis ipſius omnibus quomodo proſpexerit, ac ſi deniq; vita ſupetſiſſet, proſpicere adhuc magis quomodo voluerit, docent hæc magnifica templa & ædificia publica ab eo erecta: Domus vere regia Grodnæ exſtructa: eccleſia ædificari cœpta: Loſſouia nouis ædificijs aucta: Xenochodium Varſauiæ conditum, & emptis poſſeſſionibus ditatum: Arx deniq; Varadinenſis totius Tranſyluania propugnaculum, magna eius cura & ſumptu munita facit teſta-

testatum. De liberalitate & beneficentia eius non loquar, cum difficile sit eos, quos beneficijs affecit, percensere omnes, postponere alijs alios indecorum iudicatur. Tantum illud & quidem verè & liberè dicam: nullum vnquam post conditum hoc imperium, Regem fuisse, qui paratis seu numeratis pecunijs dandis, maiori liberalitate & beneficentia erga nos vteretur. Iustitia fuit tanta, vt vita priusq̃ recta sententia decederet; nec vllius meritorum aut conditionis rationem in iudicio haberet; nec deniq̃ publicorum munerum, aut dignitatum mercatum vllum institueret. Est enim omnis mercatura vilis, sed dignitatum vilissima: à quo ille ita abhorruit, ita ius dixit, ita iustitiam coluit, vt Salomon alter in iudicio præsidere videretur. Testes sunt istæ lachrymæ & suspiria populi: testis squalor & mœror regni vniuersi: testes bonorum omnium voces, qui non dominum sed parentem, non Regem sed libertatis suæ vindicem & patronum, amisisse se, profitentur. Age, quanta mansuetudine, & fortitudine pariter fuerit, videamus: quas ille virtutes, quodammodo inter se disiunctas, diuturno rerum usu & prudentia coniugauit. Fuit enim, si quis vnquam fortissimus, siue in adeundo hoc regno eius animum consideres, siue tot pericula adita, tot vitæ incommoda, tot maledicta, magno animo ab eo lata, intueare, & tamen vicissim tam clemens & mansuetus fuerat, vt non magis virtutem eius hostes pugnantes timuerint, quàm placabilitatem victi fuerint admirati. Quo etiam est factum vt si vixisset diutiùs, Moschouitico imperio auctum eum fore plurimi augurentur. Quàm verè nescio: illud quidem non dubitanter affirmabo, magnam virtutis & benignitatis ipsius vel apud hostes famam fuisse: eo verò salutarius accidere nihil Reipub. potuisse: Coniunctæ enim vires crescunt: distractæ pereunt. Restat, vt de temperantia, frugalitate,

C

litate, & sobrietate ipsius, pauca adhuc verba faciam.
Quanti hoc frugalitatis nomine, præpotentes & magni-
mos Reges, laudari scio non solere. Fuit ergo in victu
vestitu, veneris, omnibusq; alijs voluptatibus, quibus po-
tentiores diffluere solent, continens & moderatus. Fuit
omnibus comis, aditu & allocutione facilis, intelligentia sa-
gax, lingua ad respondendum promptus: fuit & obtrectato-
ribus adulatoribusq; infestus. eum qui aliquem apud eum
accusasset, cum expediebat, cælare non est solitus: idem
fidei, quæ silentio debebatur, custos eximius. ita deniq; vir-
tutibus omnibus cumulatus, vt non iam præceptionibus,
sed instituto vitæ, non hortatu, sed exemplo suo, multos à
luxu parsimonia, ab impuritate morum continentia, ab o-
mni vitiorum genere & turpitudine, decore & honestate
auocare niteretur. Quo quantum quidem effecerit, iudi-
cent alij, mihi satis fuerit digitum ad fontem (quod aiunt)
intendisse: & qualem & quantum, in hac Repub. Stepha-
nus se præstiterit Regem, ostendisse. Est sanè factu incre-
dibile, ea quæ tot seculis delapsa fluxerunt, paucorum an-
norum spatio, vincere vnum potuisse. Licet tot tantosq; ca-
pite plexos, tot infamia ab eo notatos, liceat numerare.
Multis voluisse sat est, lampas (quod aiunt) quæ tradetur,
mortuorum studia & instituta facilius illustrabit. Sed age
progrediamur, & quàm multæ & nobiles eius etiam sen-
tentia, quàm multa breuiter & acutè dicta, quam multa
plena reconditæ sapientia atq; doctrina, videamus. Sole-
bat ille crebris usurpare id sermonibus: Qualis quisq; Prin-
ceps in vita fuisset, supremam eius diem non obscure de-
monstrare. Multos sibi sepulchra condere, & centum mil-
libus passuum ab eis mori atq; tumulari. Homines si vel
indies ab alijs fraudarentur, cum hominibus & non cum
brutis animantibus, viuere oportere. Pugnae locum in
campo

campo aliter eligi, aliter in ædium penetralibus cogitatione
designari. Multos de principum consilijs iudicium ferre,
sed non peræq; esse conscios causarum. Polonos, si Hunga-
ris sapientiores in regibus eligendis non fuerint, nec futu-
ros esse foeliciores. multa & magna alia dicta & sapienter
eius consulta lubens prætereo, ne longa eorum enumera-
tione sim molestus. Iam quanta dignitate oris & actionis,
quanta habitudine corporis, quanta & quàm admirabili mi-
litari facundia præditus fuerit, quæ deniq; & quanta animi
& corporis ornamenta omnia habuerit, longum esset per-
censere. Quare, si olim Gaditanus quidam Titij Liuij fama
commotus, ab vltimis terris visum eum Romam venit, si-
mulq; ac vidisset discessit, quot & quantos putamus ven-
tuos, ad hunc regem fuisse, si quis & quantus fuerat peni-
tius eum cognouissent? Omnia namq; in eo concurrebant
simul, virtus, sapientia, potentia, & vsus & tractatio rerum,
cognitio linguarum, literæ, cura, cogitatio, & omnes de-
niq; artes tam belli quàm pacis. Quid igitur dicat aliquis?
nihilne erit quod in eo quoq; reprehendas, nihil nobis re-
linquas in vita moribusq; eius notandum: quò à rebus se
indignis regum etiam alij fortasse absterreantur? est enim
magistra morum & frænum improbitatis historia: cuius
cùm istæ laudationes, quæ in clarorum virorum morte aut
funere fiunt, magnam partem occupare soleant, quid obstat,
quo minus, ijs quæ laudanda erant enarratis, vitia etiam
modestè breuiterq; notentur, ne solis laudationibus men-
dosa sit oratio? Quo nomine rerum Romanarum scriptor
nescio quis Romanos suos reprehendit. Itaq; sic dico, sic
pronuncio, sic me intelligi volo, quod aliqua etiam
quæ in Stephano reprehendi poterant, tandem vobis re-
linquo, & regem hominem esse fateor, ea lege & caligine
seculi natum & versatum, vt hanc sarcinam corporis

C 2 depo-

deposuisse, quàm hominem totum exuere potuisse prius non videatur: sed illud vicissim contendo, per omnem vitam dedisse illum operam, ut quàm minimis paucissimisq; vitijs laboraret. Etenim cum sine vitijs vivere non possimus, expedit ut eo minora paucioraq; habeamus. Fuerit sanè quàm Regem fortasse decuisset, in iram pronior: an cum recollegisset se, mox non fuit sedatus & moderatus? Dissimulare quod prudentiæ est, nunquam voluit: at & simulare, quod malignitatis habetur, ne cupiuit quidem. Domesticis multis multa credidit, & consilia sua aliqua, quàm par erat, citius in vulgus manasse intellexit. Fuit persuasus facilius, fuit & obstinacior aliquando. Fuit valetudinis negligens, & vitæ prodigus suæ, quod pericula tot ab eo adita, tot superata testantur mala. Fuit plus, quàm regium videbatur, diligens ac experiens paterfamilias. Interim etiam æs alienum nobis dissoluendum non reliquit, & ea quæ accepit, non tantùm facta tecta q; eum amplificasse quis ignorat? Multa & magna tributa a nobis exegit: multa & magna vicissim ijs perfecit. vrbes & ædificia ampla vitabat, minora oppida & rura frequentabat. Promissorum erat tenax, sed & in promissis cunctator est notatus. Magnarum rerum fuit admonitus, sed & in magnis lapsus est vel nonnunquam. Ingratus erga aliquos est dictus: non est quod laudem, si verè; pectoris mei angustia non capit, si temerè. Illud quidem dico, ut ingrati animi magnum est vitium, sic non commemorari sed exprobari videtur beneficium, quod quò maius difficiliusq; relatu sit, eò pro gratia odium sæpius retulerit. Religiosus videri potius quàm esse putabatur, vel ab hoc extremo eius actu vitæ, sumpto argumento suspicari, intellectus imbecillitatis & hominum est vitium, certò scire & cognoscere, opera sunt diuinitatis. Illud ego quæro, num satis non fuerit,

C 3

cum

cū tua omnia omnibus probare non possis, bonis saltem
si probaueris? & quisquam dubitabit, hæc leuiora vitia
pensasse cum virtutibus etiam singularibus, omnes antea-
ctæ vitæ fordes, pietate et castimonia eluisse, dedisse non ad-
umbrata, sed expressa signa suæ religionis atq; virtutis: re-
rum postremo gestarum splendor, & magnitudine (vt ita
loquar) suos in corpore næuos obscurasse? ita vt & Regem
fuisse, & multa regia eum in se habuisse, nemo negauerit, &
cū virtutibus proprijs, tū vitjs etiam alienis magnum
& admirabilem Principem tota Europa extitisse. Nisi for-
tè, vt dictum est, in hoc extremo quasi actu vitæ, in eo ali-
quis aliquid desideret, dissimilem quodammodo sui dicat
fuisse, & tantum itineris ardui, tantum longinquæ profectio-
nis sine sacro comite, sine cœlesti viatico, conficere eum vo-
luisse. Cui ego respondeo. ne id quidem prætermittere, si
pauculas horas superuixisset, eum cogitasse. Iamq; cū
membra gelida essent omnia, cū difficilis anhelitus oc-
cupasset præcordia, sic christianè philosophari eum non de-
stitisse, & interruptis ac morientibus vocibus, ad senatorem
quendam hæc protulisse: Liceat, inquit, mihi affari te
illis Tertulliani verbis: Annos tres & quinquaginta exegi:
qui quales sint, scio, quales futuri sint, ignoro. Enimuerō
dubium esse potest, quā hoc piè & religiosè dixerit: quā
porrō præceptis & lubricus iste sit agonis locus: quā de-
niq; omnia in homine plena spei & confidentiæ videantur.
Floret hîc, marcescit illic: totum se confert huc, mox transit
illuc: sperat & expirat fortis quamlibet Imperator. Noster
quidem Stephanus ita vitam egit, vt in contemnenda mor-
te sapiens videri vellet: Mortem certè ipsam obliuioni non
traderet, spiritum suum pro Repub. vilem duceret, sed
salutis æternæ iacturam ne faceret, sedulo procuraret: vena-
tionibus multum temporis daret, sed & cultum diuinum
quoâd

quoâd eius fieri maxime poterat, nunquam negligeret, ac
de breui & incerto exitu vitæ, dies noctesq; cogitaret. In
hoc inquam cùm totus esset, à venationibus Grodnam re-
uersus, ex magnis illarum regionum frigoribus, repentinos
horrores sentire cœpit, & domi aliquandiu præter morem
conquieuit. Mox verò aduentante Dominico die, conti-
nere se non potuit, quo minus in templo, sacro & concioni
publicæ interesset. Vnde demum prægrauante morbo,
corpore vasto & repleto, membris omnibus iam ante de-
bilitatis, ægritudine animi & corporis aucta, extinctus est
Idibus Decembris. Nos in hoc squallore & gemitu, in his
miseriis, in hac interregni reliquit tempestate: vt cuius an-
tea virtute intercludi hostium audacia, cuius occupatione
otium, labore quies, industria commoda & ornamenta no-
stra contineri, hæc eadem omnia eius interitu, collapsa &
prostrata videantur. Quæ cum ita sint, si Boleslao Chabri
Rege olim mortuo, vniuersa Polonia, totum annum in
tanto luctu & squallore fuit, vt nec conuiuia vlla, neq; cho-
reæ celebrarentur, neq; cultioribus vestibus nobilium vi-
rorum, aut fœminarum quisquam vteretur, nos tandem in
huius & tanti Regis morte quid faciemus? Quas voces e-
demus? Quo dolore & gemitu mortuum prosequemur?
Amisimus sapientem Regem, iustum iudicem, fortem &
strenuum bellatorem. Perdidimus decus & splendorem
patriæ, præsidium stabilitatis, ornamentum dignitatis no-
stræ. Hic demum Rex, non modò nobis præfuit, verum-
etiam profuit: non solùm nos rexit, sed & texit: non solùm
seruauit, verùm etiam beauit: non modò nobis detraxit ca-
lamitatē, sed & auxit cum imperio dignitatem. Quo abij-
cti pater? Quo raptus es gubernator? Quis te nobis abstulit
præsidem & vindicem libertatis? Siccine cæteris animan-
tibus vita erit longissima, hominibus breuissima? Viuent
annos

annos alij Nestoreos, tu in medio felicitatis cursu, in media rerum gerendarum via nos deferēs? Gaudium luctus, mæror gratulationes, gemitus laudationes nostras intercludet: heu quàm fallaces spes, inanes hominum sunt cogitationes. Tu hostium nostrorum terror, amplificandorum commodorum & ornamentorum auctor, tu noui imperij conditor esse debuisti. Tu verò in squallore & gemitu, tu orbatos ope, consilio & auctoritate destitutos tua, nos reliquisti: tu in beatissimarum mentium concilium, tu in illum plenum syderum & illustrem locum, longè à nobis discessisti. Nos iactamur his interregni fluctibus: nos tot & tantis scopulis expositi sumus: nos tanquam sine nauclero nauis in alto fluitamus. Tibi præter hoc mortale corpus decessit nihil: expers es malorum omnium: pro hac caduca & fragili vita (si vita & non mors potius est dicenda) cumularis beatudine sempiterna. Nos quidem, quam iam tibi gratiam aliam referamus, non habemus, quàm beneficijs tuis erga nos memori mente colendis, & meritis virtutibusq; tuis prædicandis. Si omnibus, quibus cum vixeras, placuisti, debuisti: si id non præstitisti, neq; omninò potuisti. Tua in Hungaria adoleuit pueritia: in Germania & Italia exercuit se adolescentia: virtus illustrata est in Polonia. Rerum abs te splendorem & magnitudinem totus terrarum orbis est admiratus. Haufisti inde ab ineunte ætate, diuinarum humanarumq; rerum cognitionem omnium: versatus es in varijs muneribus & aulis Principum: functus es legationibus amplissimis: idem semper fuisti temporibus durissimis adiisti pericula plurima & maxima: nō in vmbra & ocio sed semper in acie & certamine es versatus. Hostes dominandi libidine inflammatos, potentia feros, vicinitate infestos, fama rerū gestarum formidabiles alijs, domuisti. Expertus est tua arma rebellis subiectus, grauius sedit Moscus: Turca timuit, Scy-

Scythia perhorruit. Ampla in patria munerata, industria; honorificas legationes, fide & diligentia; Transylvaniam fortitudine, Poloniam consilio, omnia honoris insignia virtutes consecutus. Aucta est per te Polocia & Vielisio, Lituania: recuperata Liuania, pacata Podolia, Mechmete & Aschlan Cherei Tartarorum Chanis perterritis, Podkoua & lancula Valachis castigatis, Amuratis Turcae minacissimis legationibus contemptis, omnium Regum, principum, & populorum nationumque ora in te sunt conuersa. Plena denique & referta sunt cuncta, magnificentiae, bonitatis, & religionis tuae: tot tantaque templa, Xenodochia, arces, aedificia erexisti. In victoria, quae superba & insolens est, te ipsum vicisti: Rex bello clarus, pace iustus, consilio grauis, animo inuictus extitisti. Sed finis sit. Bonorum enim Regum exaggeranda morte, mortis est Reipub. quasi initium: quae cum immortalis esse debeat, nefas est in unius mortalis vita positam eam esse opinari. Te ego Deus Opt. Max. Regum & regnorum auctorem omnium, te, inquam, imploro & obtestor: ut quemadmodum hunc Stephanum Regem, per omnes omnium honorum gradus, ad regium fastigium euexeras, tot bonis auxeras, tot & tam praestantibus victorijs illustraras: ita ei defuncto, noxarum veniam, huic regno florentissimo Europae propugnaculo, illibatae domicilio libertatis, concordiam, Regem denique piū, iustum, fortem, prudentem, beneficū quamprimum nobis largiaris.

✠
F I N I S.

Altera ORATIO
DE
STEPHANO
REGE POLONIÆ &c.

pronunciata

A

Nob. & clariss. viro,
D. CHRISTOPH. STVRTZIO
J. V. D.

8. Id. Martij.



Illustri viro ac Imperatori
STANISLAO PEKOSSLAVSKI
de Pekosslavv Capitaneo Marienburgen
Kierepeceñ Fravvenburgen &c. in
Liuonia Regio Legato

S. D.


CHRISTOPH. STURTZIVS

Liuonus.

Quanta virtutis vis & gloria sit, nihil apud te Virum
illustrem & optimum, ut dicam necesse est, qui utraq;
Reipub: tempora, cum summa nominis tui commendatione æ-
què tuopte ingenio quàm præclarissimo Stephani primi Regis
Poloniæ iam pie defuncti exemplo gubernasti & adhuc regiè
gubernas. Omnes, qui virtutis vim suspicimus & admira-
mur, si alia officiij et clementiæ, quæ sunt plurima in Stephe-
no, argumenta deessent, gloriam utiq; virtutis et gratiam be-
nemeritorum concelebrare debemus. Nec nos moueat inui-
dia multa detrectans, pauca probans, sed auctori suo maxime
perniciosa. Quis sapiens, quis fortis, quis iustus eius spicula
non sensit? sic igitur τὸ καλὸν δύσκολον εἶναι ait diuinus ille
Plato; post fata tamen requiescit. Itaq; quod memoriæ
optimi & præstantissimi Herois Stephani Regis Poloniæ,
non ut debui sed ut potui tenuiter, hac oratione tuo nomini
feliciter inscripta, tribui: id totum tuo patrocinio compro-
batum iri ut scio, ita percipio maximè, ut rectis studijs ve-
ram laudem constare, & nunquam sine invidia magnum
existere solere putes.

Ceterum ego T. Ill. D. me totamq; familiam meam
tuis amplissimis beneficijs, ut cepisti, ornandam & augen-
dam, qua possum animi contencione commendo; iusta me-
orum studiorum officiorumq; facta restitutione. Vale datis
4. Cal. Septemb. de Rostochio. Anno 87.

CHRISTOPHORI STURTZII
ORATIO
DE REGE STEPHANO.

 Voties ego ad dicendum, Concio ornatissima, augustissimum hunc locum ascendo: (rarius autem id aliquantò factum est, quàm vel consuetudo Scholæ patitur, vel mei instituti ratio admittit) toties mehercules vnum idemq; subuereor maximè; ne, dum ego studio quodam & certo eruditissimorum hominum iudicio id suscipio, sinistros incurram quorundam Scepticorum sermones, & reprehensiones sustineam eò molestiores, quò indignius inferuntur.

Sed quis est qui optimè agendo inuidiam, & rectis studijs aduersa multa perferre non cogatur. Iam verò cum & autoritas Magnifici domini Rectoris dicendi copiam fecerit, & ratio suscepti muneris hoc ipsum requirere videatur: excusationem meam sine dubitatione vos accepturos spero. Turpe enim existimant, qui in iudicijs agunt: indecorum omnes artifices putant; qui ad delectationem aurium & eruditionem animorum artem suam componunt; rem ipsam absq; aliquo procæmio proposuisse. Quid igitur nobis in re tam seria, tam augusta, & prope diuina versantibus, nonne pudori esset, si illotis, vt aiunt, manibus sacratissimæ rei interpretationem susciperemus? Cogito enim id aggredi, quod ex usu scholæ & ex salute multorum esse possit, vt cuius rei gratia hi, quos videtis, peregrini optimæ spei adolescentes huc venerint, & apud vos viuere debeant, cum auctoritate vestra, præceptores & amici obseruandissimi, constituta; illis explorata, & parentibus eorum grata ratio

constare possit. Quamobrem cum causam dicendi vobis exposuerim, sic tandem vestris tenerrimis auribus, concio ornatissima satisfacisse me puto, ne vel arrogantiae vel quo alio crimine nos condemnatis, qui officij ratione cuncta facimus, & cum aliqua vestri commendatione virtutis laudem quærimus.

Vna enim eademque perpetua nobis, in omni vita nostra, via proposita est; quam tamen nostramet marte nos ingredi non posse facile agnoscimus: sed aliunde opem manumque ductricem petendam, quò vero rectius, quam ab altissimo & sapientissimo Deo? statuimus, ut pietatis Christianæ veris fundamentis cognitis, honesta, iusta, recta & pulchra discamus, & ut vno verbo multa complectar, virtutis exercitia perpetuò & constanter usurpemus. At quam hæc longa, quam difficilis, quam periculosa via sit, quis, nisi rerum omnium ignarus, & qui dulces honestatis fructus nondum percepit, ignorat? Labor enim non solum ingens & indefessus ad virtutem rectaque studia anhelanti, propositus est: quem plerique velut pestem valde incauté fugiunt, qui tamen diligentia, omnium virtutum matre, vinci potest: sed & difficultas in assequendo & in adsecutis gravitas cum virtute coniuncta esse debet; ne quod longo tempore magnoque labore comparatum habes, vno momento totum amittas: vel voluptatibus blandissimis dominabus victus: vel cæterarum rerum sollicitudine impeditus hanc virtutis curam abijcias. Constantia ergò animi opus esse & admonitore fidelissimo videtis.

Primum quod est & summum in re omnium optima & pulcherrima, certis tum Theologorum, tum philosophorum præceptis dari & doceri scitis. Sed tamen in altero quandoque hominis præcellentis autoritas plurimum

num valet, quandoq; exempla praestantissimorum hero-
um non minimam vim obtinent; quinimo vitam nostram
exemplis magis & facilius quam exemplis institui & gu-
bernari posse ac solere, in comperto est. Quapropter
cum hoc tempore ea potissimum mediter, eaq; ingenuis
adolescentibus, fidei meae singulariter commendatis, tra-
denda constituerim, quae & vitae recte instituendae veram
rationem continent, & hominum mores atq; studia ma-
ximè excolunt; nullum sanè, pro felici operis instituti pri-
mordio, commodius, nullum. vtilius, nullumq; ad imi-
tandum vehementius argumētum, tum eruditionis com-
parandae; tum virtutis exercendae inuenire posse videbar
quam si, quem regem vere magnum patremq; patriae
vium cognouimus, iusta iam pie defuncti celebratione,
velut quoddam exemplar virtutis ad imitandum propo-
neremus. Ad vos autem, O Liunioni, & Borussi, nostra
imprimis dirigetur oratio: vt, quem regem optimum ha-
bueritis, grato animo agnoscatis, non modo suae aetatis
principem ac regem laudatissimum: sed cuius etiam
desiderio ita teneamini, vt de successore bono & huic æ-
quali vota nuncupantes, hanc vobis stationem hoc tem-
pore commissam existimetis; vt, exemplo praestantissimi
herois accensi, omni studio ac contentione id efficiatis, vt
optimus Rex vestigia virtutis in animis vestris posuisse,
nosq; omnes ad iusticiae prudentiaeq; cultum priuatis do-
cumentis excitasse videatur. Si quid vobis etiam Germa-
nis, illi, quam studetis, disciplinae in hoc nostro Rege
Stephano consimile visum fuerit, si quid virtutibus Impp.
Rom. egregijs aequale; agè, quantum vobis in tanto prae-
stantissimorum heroum Germaniae cumulo licet, ad imi-
tandum multa, ad agendum plurima vt sunt, desumite; &
fortè honorificum valde vobis erit, si regem nostrum vir-

D 3

tute

tute & iusticia superaueritis. Dicam ergo paucis; multa enim in tam exiguo temporis spacio non licet; nec etiam de omnibus inquirere lubet; dicam de magno Stephano rege Poloniae, Magno Duce Lithuaniae, Principe Transylvaniae Liuaniaeque &c. non quantum praecleara eius dignitas & virtus excellens postulat, sed quantum mediocritas ingenij mei patitur. Nec enim, si eruditissimi etiam homines omnes ingenij animique vires intenderent, satis dignè maximas ipsius laudes cognitae celebrare possent; quanquam plurimi sint, quos hoc vno argumento occupatos esse audio; ut, quod ego plenè non attigero, ex illis copiosè cognoscere possitis.

Inter caetera, quae DEVS Opt. Max. homini tribuit, vitae munera, non hoc minimum, quinimo dignissimum est beneficium, quod ratione uti possumus; qua non solùm reliquis animantibus omnibus praecellamus, sed inter homines etiam augustissimum locum & honores maximos consequamur. namque si veri rerum aestimatores esse volumus, non sanguinis splendore, nec auita paternaque sed sua cuiusque propria virtute vera dignitas aestimanda esse videtur. Itaque illi mihi perbeati esse intelliguntur, qui hanc subductam vereque praeclearam aetatis suae rationem ineunt, ut à puero ingenuis artibus sese dedant; quibus instructi instrumentisque eloquentiae comparatis, ea, quae à sapientissimis hominibus ad bene viuendum tradita sunt, & discant diligenter, & exerceant prudenter.

Planè hanc ipsam rationem Regem nostrum Stephanum à prima statim adolescentia tenuisse, etsi id literis traditum me legisse non memini; tamen consequentia egregia eius facta & honestissima studia rerum praeclearè agendarum satis abundeque testantur, quàm ille virtutis amator egregius fuerit, quantòue discendi studio arserit:
qui

qui & puer in sua patria, honestimæ & nobilis familiæ exemplo admonitus, rudimenta prima didicit, & ætate paululum progressus longas peregrinationes suscipere magnâq; itinera conficere non dubitauit, vt, qui tum temporis, in omni terrarum Hungariæ, Italiæ, Germaniæ parte, celeberrimi principes viri togati militiæq; fuerunt, & coram eos videret, & familiarissimè iisdem vteretur.

Sed ne incunabula omittam præstantissimi Herôis, cuius iam studia inquirimus, natus est ex illustri familia, parentibus vtiq; honestissimis: sed ex fortunæ inuidia non ita opulenti, vt tantum virum decebat; & fortè melius. Vidimus enim multos principes, admiratione suæ prosapiæ magnâq; facultatum opumue copia præpeditos, rarò virtutis opus arduum & difficile cogitare: postquam in molli isto vitæ genere consueuerunt. Quod tamen citra inuidiam dictum velim. Nam ratio veræ virtutis id aliquando exprimit, quod pudor subiectionis & reuerentia obtegere solet.

Natus est igitur Rex Stephanus patre Stephano Batto-
reo Palatino Transyluanix, matre Catharina Thelegdia,
in Hungaria loco suæ ditionis celebri Somlio V. Cal. Oct.
Anno 1533.

Quæ autem adolescentiæ ipsius studia fuerint, quibus re-
præceptoribus usus sit, cum singula, nobis obiter cuncta
attingentibus, explorata non sint, manifestò ostendere
non possumus. Id tamen ex virtute eius singulari, pru-
dentia & eruditione propè admirabili apparet, non solū
in Stephano vim ingenij diuinam fuisse; sed tantum præ-
terea studium, vt multis admirationi sua ætate fuerit;
nobis etiamnum exemplo sit, ut persuasum certò habea-
mus, familiæ dignitatem nequicquam nobis proficere,
nisi.

nisi virtutis diligens cura accedat, nec tandem absq̃ illa
rite conseruari solere. Deinde nullam rem laude dignam
effici posse, nisi & cupiditas discendi animo inhæreat, &
studium exercendæ virtutis maneat perpetuum. Sic ergo
facile intelligimus, vnde illa, quæ in rege nostro præcipue
laudatur virtus, iusticia, profecta sit, quoue fundamento
innixa. immota constiterit.

Nisi veram definitionis iusticiæ interpretationem te-
neretis, auditores suauissimi, hanc, ex instituto regis no-
stri Stephani, non inconcinnam vobis demonstrarem.
Qui iusticiæ professionem laudemq̃ appetit: (omnes au-
tem qui sacerdotes eius, principes simul & I Cti. perhiberi
volunt, summopere appetere debent) id eniti maxime
velit, vt animum, à primis (vt aiunt) vnguiculis, sanctissi-
mis Theologiæ & Philosophiæ præceptis instructum ha-
beat, & quæ præclara didicit, non alia, nec diuersa, sed
ea ipsa agere & factis exprimere instituat. nec enim fieri
potest, vt qui primum ætatis florem vitijis mancipauit, im-
potens iam & effætus, virtutis actiones digne vsurpare
possit. Nam virtus perpetua est & sibi maxime *ὁμόλογος*
& consentanea actio. Quare diminuenda est eorum opi-
nio, existimantium satis esse ad virtutis laudem veramq̃
dignitatem consequendam singulari & præclara rerum
scientia præditum esse. Sed quemadmodum omne si-
mulatum diuturnum non est: sic illi vmbra veræ laudis
cum sua multorumq̃ pernicie sequi videntur, tantò celeri-
us euanescentem quantò se suamet opinione pulchriores
esse existimant. Vos autem iuuenes ita habete, qui non
veris solidisq̃ fundamentis domum extruxerit, nec veram
virtutis & eruditionis comparandæ rationem secutus
fuerit: pari conditione esse, vt, quo minime sperant
tempore tamquam flosculi, aduersis fortunæ telis petiti,
misere

miserè simul & cum pudore decidant.

Hoc ergò prima vestrae adolescentiae educatio primaque institutio, Iuvenes nobilissimi, spectat; in qua omne felicitatis humanae momentum consistere, Plutarchus locuples testis est; ut comparata primarum artium linguarumque cognitione; his velut τοῖς μέσοις & instrumentis, sic philosophiae praecepta discatis, ut quocunque genere doctrinarum eruditi fueritis, magna in vobis spes virtutis posita, & ad ecclesiae atque Reip emolumenta vestramque salutem, accommodata esse videatur.

Nec est, mi adolescens, quod verearis, quin, ubi ita praeclare multa didiceris recteque agere institueris, gloria te virtutis certissima comes, fugientem ultro etiam consequatur. Tanta enim virtutis vis est; ut, licet paupertate obtegatur, invidiaeque telis aliquandiu opprimatur, & propter tantas tamque acerbis difficultates, quae circa eam stant solitaria esse relicta videatur; nihilominus tamen suam se potentiâ erigat & in tenebris miseriarum eluceat, & liuoris igne accensa, quò ante grauius oppressa fuit, eò splendidius emineat. Quemadmodum id Ouidium lib. 5. Trist. elegantissimis versibus expressisse meministis.

Scilicet aduersis probitas exercita rebus,

Tristi materiam tempore laudis habet.

Si nihil infesti durus vidisset Vlysses,

Penelope felix, sed sine laude, foret.

Non ergò solùm ob eam, qua omnes nati sumus, iniquam vitae conditionem, sed propter hanc ipsam virtutis laudem tuendam & rite consequendam, multa aduersa, heròico tamen & forti animo, Rex noster Stephanus eo modo pertulit; ut, postquam tum literarum studio laudabili; tum bellis grauissimis & periculosis conficiendis multos magnosque labores exantlasset, *σέφαινον*,

E

ceu

ceu præmium virtutis, delato sibi regno Poloniæ potentissimo simul & florentissimo, consecutus sit. Sed quàm magno sibi ille honor constiterit; non dicam de electionis, quæ grauissimo multorum dolore incidit, difficultate sed hoc vnum si consideraueritis, quale & quo tempore sibi regnū administrandum commissum sit, iam vos rem omnem tenere arbitror. Difficilia mehercles & periculis omnia plena, vndiq; hostibus regno imminentibus, tum temporis fuisse constat, quo Regi nostro gubernacula rerum tradebantur.

Sapiens, medijs fidijs, consilium Polonorum fuit, qui virtute hæc omnia superari & prudentia posse existimabant, non viribus, non autoritate, non potentia cuiusq;, & idcirco præstantissimum & rebus feliciter gestis clarissimum herōem & Regem suæ libertatis propugnatorem suæq; salutis defensorem sibi delegerunt, & Stephanum nostrum Calendis Maij anno 1576. diademate regio cinxerunt. Primum sanè, quod huic sapientissimo & fortissimo Imperatori imponebatur, onus grauissimum simul ac difficilimum, patria mea Liuania suis miserrimis temporibus malisue cumulatissimis ingerebat. Scitis omnes; testimonio in re certa & aperta minime opus est; quàm florentissima olim & rebus omnibus abundans Liuania & quidem abhinc trecentos & amplius annos fuerit, & quomodo sua vbertate multas finitimas pariter & remotissimas quoq; regiones, frumento, melle, cera, lino & cæteris id genus humanæ vitæ maximè necessarijs bonis, exhibuerit. Profecto cogitatione felicitis status patriæ & quod iam in tot pericula, mala, calamitates, clades & miserias coniecti sumus, meritò indies magno cum animi dolore mæremus. O Liuanij: patria est, qua nihil dulcius, nihil iucundius Deus immortalis hominibus dedit,

ca

ea nunc direpta iacet, omni ferè libertate antiqua, iure & felicitate sua exuta, ergone nos beati esse videmur? Vix est, vt à lachrimis me temperem: turbata enim omnia sunt, fluxa & incerta. Sed reuertamur, vnde digressi sumus. Nostra quidem ætas tranquillum patriæ statum nō vidit, quin imo in ipso calamitatum ingressu nati sumus & in summis istis augustiis educati: attamen summam terræ vbertatem vidimus, felicitatem in pace maximam omnium rerum fuisse accepimus.

Dices ergo quæ tantæ conuersionis causa? Illa ipsa certè, quæ omnium florentissimarum regionum & ciuitatum iam oppressarum & deuastatarum causa fuit & esse solet. Superbia & discordia. Fatemur enim in quo culpam agnoscimus; occinimus alijs: vt quos eadem vitia vrgent, exemplo nostro prudentissimè sibi caueant.

Quoniam igitur maiores nostri rebus suis optimis fortunam reuerenter non habuerunt, sed eā nimium suffragante abusi sunt, eius sanè instabilitatem nostro cum maximo incommodo posterì experti sumus: ne interim dicam, quod aures omnium iam compleuit, peccata nostra, quibus Deum multifariam offenderamus, nostri tanti tamuè diuturni mali primam atque præcipuam causam fuisse. Nam propter peccata populi DEVS transfert imperia de gente in gentem. Certè verum est, quod Xenophon sapientissimè dixit, multò difficilius esse rebus secundis moderatè vti posse, quàm aduersas æquo animo perpeti. Nam hæ modestiam animis quorundam persuadent; illæ insolentiam cum fastu omnibus ferè ingerunt. Itaq; cum omnia tuta, libertatis plena & longè felicissima essent, id, quod sapientissimus ille Cato diruta Carthagine, Romanis rerum gerendarum laude alioquin præclaris

euenturum prædixit, nobis eadem ratione euenit. Principes enim terræ, cum à finitimis bellis securi essent, inter se lites primum de iurisdictione, mox arma mouerunt & qui potentior cæteris erat, sibi omnia licere arbitrabatur, volens αὖν ἀεὶ τεύχεα καὶ ὑπέρροχον ἔμμεναι ἁλλῶν; altero interim ex vetustate acquisitionis & prærogatiua iuris spiritualis suam potestatem defendente. Quid tandem? Postq̃ insolentius magister ordinis Theutonici agere instituisset, & ad se omnia pertinere deber eedixisset, & Archiepiscopo Gulielmo oppresso & cæteris, qui cum ipso sentiebant, male adfectis: (namq̃ & mea familia non minima ex periculosissimis huius intestinæ dissensionis malis incommoda accepit:) profectò indignitas rei multos, ad quos ea res pertinebat, plurimum commouit.

Imperatoris Romani Ferdinandi, cuius maiestati parebant tum Liunioni, per legatos certos & præstantissimos homines, anno 1557 die 18 Maij id afferentes, decreto iuebatur Magistro ordinis, vt restitutionem spoliato Archiepiscopo faceret; promissa ea quidem est, sed nondum completa, & ego meiq̃ fratres adhuc eam dolemus. Quid multis? eò tandem res inclinata est, vt cum acrius Moschus bello infestissimo immineret, nec suis viribus satis confiderent prouinciales. Ultradunensis districtus, excepta ciuitate Rigen, alijsq̃ alios tum quærentibus dominos, imperium Polonicum agnoscerent, eiusq̃ se tutelæ & patrociniò, non tamen planè potestati, subijcerent. Sanè hoc ipso tempore Illmi. principis ac Domini, Domini Gothardi Ducis Curlandiæ moderatio singulari cum prudentia & virtute coniuncta eo modo apparuit, vt & tranquillitatem Liunioniæ mediocrem attulerit & sibi æternum perpetuæ in sua familia inductæ dignitatis monumentum pepererit. Sed tamen Moschus tyrannus,
quam

quam semel ex dissensione principum Liunioniae occasio-
nem rei gerendae commodissimam nactus erat, non omi-
sit; ut quorum ante fortitudinem & potentiam sub ma-
gistro praesertim Plettenbergio horruisset, eos iam secu-
ros & discordes opprimeret, nec infelicitate sibi ea res ce-
cidit; velut id calamitas Liunioniae testata est.

Itaque non solum fato versari res humanas videmus, ve-
rumetiam ex culpa & negligentia hominum pleraque ma-
la evenire scimus; Deo ita disponente, ut quaecunque acci-
dunt, iuste & merito nobis accidisse videantur. Hoc ergo
fuit initium maximorum malorum, quorum definitum
modum necdum tenemus. Haec mutati felicissimi status
ratio; tanto mehercules infelicior, quanto vindiciarum li-
bertatis pauciores sunt reliquiae. Sic enim per 20 am-
plius annos à Socijs nostris defensi sumus, ut desertos
nos magis fuisse, quam tutos, solos quam cum exteris
coniunctos optandum esset. De vitijs hominum lo-
quor. Ad Stephanum virtutis verae exemplar redeo.

Quoniam boni est regis ac principis, tantam pro salute
& defensione suorum curam suscepisse, ut nullis sum-
ptibus parcat, nullique labori cedat, quin omnes suae ma-
iestati commissos populos saluos & incolumes retineat &
conseruet, quemadmodum id Homerus fons ingenio-
rum in persona Agamemnonis expressit, βέλόμεναι ἐγὼ
λαόν σπὸν ἔμμενα ἢ ἀπολέειν. & venuste ait Seneca.

Pulchrum eminere est inter illustres viros,
Consulere patriae, parcere subiectis, & fera
Caede abstinere, tempus atque irae dare,
Orbi quietem, seculo pacem suo.

Nihil sane huic regi nostro fortissimo prius, nihil an-
tiquius fuit, quam ut Liunioniam miserè deuastatam, à so-
cijs relictam & inter se maximè dissentientem recollige-

ret, & in pristinam libertatem, data pace & tranquillitate, adfereret. Et profectò summa, quæ tum ingruerat & totam prouinciã prægrauabat, violentia & tyrannis inaudita, necessitatem quidem regi imposuit, vt quàm celerrimè posset, malè affectæ & laboranti prouinciæ opem ferret. Sed tamen Regiæ maiestati eius satius visum fuit, hostem truculentissimum quamuis, & immania designantem, qua posset ratione, sustineri; vt ante ea, quæ in ipso regno exarserant, mala sedaret, quàm vt finitima vrgeret. Interim autem Moschus nihil cunctatus, totam Liunioniam suæ potestati subiicit; & quidem tam admirabili fraude & astu, vt qui Germanos homines rerum omnium expertos, ab eo, qui barbarus fuit, falli posse dixisset, pro ea imprudentia pependisset. Sed tamen ille omnium cogitationes consilio anteuertit, & omnium vires celeritate rerum gerendarum fregit metumq; suis maximum etiam longiùs disitis regionibus iniecit. Non est ergò, quod hostem etiam minimum & imbecillum contemnamus: & in bellis qui fidem expectat sibi præstari, suæ credulitatis maximam sæpenu-merò pœnam luit.

Quanta autem anno 1577. in Liunia miseria, quanta calamitas; quantus in omnibus non locis modo & vr-
bus, miserè direptis, fraude & prodicione occupatis; sed in omnibus etiam familijs tum nobilium; tum plebeio-
rum, luctus fuerit: nec, mihi si centum, linguæ sint oraq;
centum, satis accuratè edicere possem.

Iohannes Basilius tyrannus Moschouitarum elegerat
sibi adfinem fratrem potentissimi Regis Daniæ Domini
Domini Friderici 2. optimi, & tam occulto consilio, vt,
quò summa in illum collata beneficia, honoris præmia &
illa

illa summi decoris loco habita Regis Liuoniae nominatio
spectaret, iuuenis rex Magnus, nec per se ipse, nec ex
suggestione consiliariorum suorum ante aduerteret quàm
id totius prouinciæ Liuoniae irrecuperabilis calamitas &
rerum omnium desperatio, in ipso rege Liuoniae, testata
est.

Multi quidem sunt, qui nos vituperant, quasi primo-
res patriæ nostræ relictis arcibus profugissent, sed hi ve-
ram omnium rationem tenere non videntur. Nonne sci-
tum est illud Pythagoræ, *διωάμεις γὰρ ἀνὰ γῆν ἐγγυθὶ καί;*
tamdiu me hercle quid possumus, quàm diu necessitas
nos aliud facere non cogit. Quos ergo hostium oppressit
multitudo & potentia, hi ne fugisse intelliguntur? quid?
paucos inermes in tela parata currere, nonne extremæ
dementiae est? Itaque sub certa vitæ retinendæ conditio-
ne semet seruasse; maximè sociorum fide & ope mul-
tum planeque cessante; satius fuit, quàm stulta & temeraria
audacia tanto hosti, qui ultra ducenta millia hominum
in exercitu habuit, se se opposuisse. Quàm vero a-
liena ab tyrannico Moschi imperio voluntas eorum fue-
rit, satis, mehercles, hi testatum fecerunt, qui mortem,
pulvere tormentario substrato, sibi consciscere maluerunt
quàm in manus tyranni peruenire: rectissimè statuentes,
nec salutis rationem habendam sine dignitate, nec
dignitatis sine salute. Ergo Rex Stephanus, quam-
uis & potentia crudelissimi hostis socijs nocitura ad-
uerteretur, & Liuoniæ humilima obtestatione facta
peterent, ne rex sui curam abjiceret, sed quanto ocyus
posset auxilio sibi & subsidio exercitum instructum
mitteret: tamen rebus nondum apud Dantiscum urbem
expeditis, auxilium sacrum laboranti prouinciæ ferre,
non

non suo quidem proprio consilio, sed prorsus alieno, recusavit. Nam intellexit, proculdubio, rex sapientissimus totius Reip: procuracionem, non certæ alicuius partis, sibi commissam; ut qui vnius membri curam abijceret, iam totum corpus curasse non videatur. Quare non incredibile est, quod quidam de eo adserunt, poenituisse regem facti, quod potius Dantiscum obsidere, quam Liuania malis succurrere voluerit. Sed ita forte in fatis fuit, ut quæ diuinæ ultionis exemplū esse deberet, Liuania sic affligeret, ut nulla sui parte constitisse intelligatur. Tandem tamen virtute singulari & magnanimitate, μηδὲν ἀνακαλλόμενος cum id, Deo conatus prosperante, commodissimum videbatur, deuictis expulsisque à Liuania hostibus pristinum ius adseruit. Quam prosperè autem & prouidenter Rex Stephanus, Illmo. principe ac domino domino Ioanne Sammoiscio, magno regni cancellario, belli duce designato, bellum Moschouiticum gesserit, confecerit, nō est huius loci commemorare, quoniam & res in conspectu propè nostro gesta, omnibus est manifesta, & monumentis historiæ Polonicarum satis superq; descripta. Quemadmodum igitur virtute optimi ac fortissimi Regis Stephani ex manibus Moschi excussa veluti, & recuperata aliquatenus est patria nostra: Sic ô Liuanij intelligamus, nos et dignitatem pristinam, & illam, quam maiores tradiderunt fuisse, felicitatem recuperare aliter non posse, quam si virtute non sanguine, Deo non hominibus nitamur, & pietati atq; iusticiæ, summa cum animi contentione, studium demus.

Hoc sane si Liuania noua propago, ut laudabiliter cepit, agere instituerit, non est dubitandum, quin omnibus malis liberati sub alis albæ aquilæ, relicto nobis veræ religionis cultu, tutò tandem viuere possimus, modò in pristina

stina vitia, quæ hanc vim habere nouimus, vt sui cultores
exspuat & summis miseris adficiat, rursus non incida-
mus, sed reuertatur, vnde deflexit, oratio. Quod in
principe, pastore populorum, commendatur, quodue
officium Imperatoriæ maiestatis esse Iustinianus noster
adserit, hoc ipsum in rege nostro singulariter celebramus,
quod videlicet, quemadmodum de Agamemnone Ho-
merus testatur.

ἀμφοτέρων βασιλεὺς τ' ἀγαθὸς καὶ περὶ αἰχμητῆς
fuerit h. e. vtraque Reipub. tempora pacis & belli, summa
cum prudentiæ laude & virtute gubernarit.

Tanta enim in bellis gerendis scientia militaris, virtus,
fortitudo & prudentia in Rege Stephano commendatur
fuisse, vt qui eū summis veterum Roman. Impp. compa-
rauerunt, nondum satis eius laudibus tribuisse videan-
tur. Omnis ille laboris patientissimus fuit, nec æstus
tantus, nec frigus tam strictum erat, quo ille occasionem
rei gerendæ omitteret. Tanta præterea prudentia in ca-
stris mouendis & stratagematis inueniendis omnia dispo-
nebat, vt, qui in eius militia vixerunt, eruditos sese in re
militari huius regis exemplo fateantur. Rursus tanta in
pace laus iusticiæ in ipso fuit, vt improbis & seditiosis
hominibus terrori, bonis autem honori, exteris populis
admirationi fuerit, & quoniam iusticiam dilexit, fouit,
exercuit; cæteræ quoque virtutes in ipso non desideraban-
tur. Rebus secundis se se non efferebat; quinimo nullam
rem magis odio habebat, quàm superbiam; ergò humi-
litas in ipso commendata est. Pudoris autem tantus
apud ipsum honos fuit, vt causam propinquam morti
eius tribuisse dicatur.

Tanta præterea eum humanitate fuisse, ipsi, cum esse-
mus Grodnæ anno 79, vidimus, quanta vix alium re-

F

ctius

etius optare posses principem; siquidem omnes Regis
nomen inclamantes audire, omniumque libellos supplices
sua manu, nonnihil consistendo, quoad porrigentur, ac-
cipere non recusauit: nec tamen postea neglexit; ut in
quibusdam aulis accidere miseri clientes conqueruntur;
sed inter prandendum quandoque; quia alia tempora serijs
Reipub. negocijs tractandis & curandis destinarat, lege-
bat, cognoscebat, rescribebat, ut intra triduum quin da-
tum esset responsum, nemo dubitare posset. Agnosca-
mus ergo singulare Dei beneficium, in hoc rege dato, no-
bis exhibitum: qui & ipse Remp. sapienter gubernauit,
& optimam constituendae moderandaeque Reip. rationem
suo exemplo docuit, duabus nimirum rebus humanae vi-
tae & societatis tuitionem constare, legum scientia, armo-
rumque peritia, & vtriusque rei usu certissimo: Diuinum er-
go bonum hic Rex sapiens & fortis fuit: nam, ut ait Ho-
merus, *εἰ μάλ' αὖτε πρὸς θεῷ, θεὸς πᾶσι τοῖς ἔδωκεν*. vna bre-
ui sententia subindicans, vnde boni reges ac fortes prin-
cipes dentur & cuius gratia diu salui & incolumes existe-
re possint. Quod verò Liunioni saepe multumque de hoc
rege iustissimo conquesti sunt & grauiora sibi impendere
Metropolis prouinciae verita est: id non tam Regis nostri
culpâ, qui natura bonus æquique amantiſſimus fuit, quàm
partim vitio hominum inuidorum nostraeque religioni ad-
uersantium: partim *φιλονεικία* res publicas negligentium,
factum esse existimamus. Id sane fateri cogimur
paternam Liunioniae curam regem Stephanum suscepisse,
qui non solum eam e faucibus Moschi eripere, magno suo
labore, multoque suorum militum fortissimorum nobili
sanguine profuso: sed etiam legibus iudiciisque constitu-
tam certam eius & tranquillam Remp. esse voluit. Sed
quod omnia ad finem optatum non peruenierunt, multum
tum

tum temporum infelicitate, tum hominum maleuolorum
perfidia factum est. Interim tamen memoria & rerum
ab ipso felicissimè & fortissimè gestarum, & prudentissi-
marum constitutionum commemoratio apud omnes po-
steros perpetua erit, vt quoties in eius mentionem deueni-
mus (indies autem nō absq̃ magno desiderio incidimus)
toties nuncupatis votis Deus Opt. Max. exorandus esse
videatur, vt non dissimilem Stephano regem alium dare
& benignè largiri dignetur; cuius pietate, prudentia & fe-
licitate Resp. floreat, ciues opibus magni, virtute præclari,
concordia felices efficiantur; & totius Reip. gubernandæ
hæc ratio ineatur, vt potentissimus Rex Poloniæ, hosti-
bus terrori, amicis subsidio, finitimis exemplo esse possit.
Nimis mehercules maturè hic nobis rex optimus & fortiss.
è vita sublatus est, & quidem nos in medijs turbis bello-
rūq̃ tempestatibus veluti Orphani relictī vicem nostram
dolemus, hostis Moschi impetus tyrannicos horremus, &
nostram indignitatem mæremus, quod Deus hunc nobis
Regem diutius relinquere noluit, cuius opera, studia &
officia Ecclesiæ & Reipub. magno, sine dubitatione, vsui
esse protuissent. Optimus ergo rex Stephanus, prohi-
dolor 4. Non. Decemb. secundum veterem apud nos
retentam anni computationem, anno proximè elapso 86,
cum decem annos regnasset, circa horam 12 noctis, Grod-
næ vitam cum morte commutauit, ita placidè, ita suauiter
obdormiens, vt ad meliorem vitam veramq̃ animarum
requiem transportatus esse videatur. Interim de singu-
lis rebus, religionis præsertim, nec iudicandi nec dicen-
di partes nobis adsumimus. Id medijs fidijs adfirma-
re non dubitamus. Singulari Dei beneficio hunc re-
gem Stephanum, pro oppugnaado & domando tyranno
Moscho, cunctis populis Sarmaticis, in quibus Deus suæ
F 2 Ecclesiæ

ecclesiæ reliquias non exiguas habet, excitatum, datum & tamdiu nobis conseruatum fuisse, quamdiu id venerandæ & sanctæ Trinitati vtile & ecclesiæ suæ saluberrimum esse visum est.

Eram ego illo tempore, quo Rex Stephanus mortuus est, Regiomonti, non priuato sed publico nomine, nec enim vos latet, quod ad professionem Iuris in Academiam Regiomontanam vocatus, tantò certiore spe rerum ex animo conficiendarum profectus sim, quantò mihi maior certiorq; ex mādato Illmi principis ac dōini Domini G. F. Ducis ac Curatoris Prussiae, fides promissioq; à tātō viro facta est, in cuius verba iurare, nedum fidem eius sequi maluisses, sed non omnium grata est apud vos consultatio.

Non tamen negarim, quin utrobiq; τὸ ἐμᾶργμενον perspiciatur; vt nostrarum consultationum vel præcipuum impedimentum sæpenumero sit illud, cui maximè fidimus: quia Deo non omnem laudem tribuimus, eius rei si quis petit exemplum, legat historias vitæ humanæ magistras, & maiora etiam opinione sua cognoscet.

Quamobrem nemo sibi nimium præfidat, cautio est, quia nescit, an adiciant hodiernæ crastina nobis tempora Dii superi; & nunquid non πολλά' ἀελπια κραινουσι οἱ θεοί; vt venustè in Tragoedijs sæpè repetiuit Euripides. Casus ergò humanæ vitæ lugemus. Quicquid enim humanum est, id aliter euenire posse existimandum est: Vita & spes id dat, quod mors & inuidia eripere potest. Lugeamus omnes regem fortissimū & sapientissimū nobis ereptum; & meritò lugemus. Viuum enim exemplar virtutis atq; iusticiæ fuit, quod ipsum factis simul expressit dictisq; testatus est. Itaq; silentio prætereundum non est apophtegma illud, quod iamdiu vestras aures per sonuit.

Cum

Cū nostri aduersarij, qui vitæ æquæ atq; religionis nostræ
trāquillo statui inuidēt, multis persuadere regi Stephano
vellent: vt, qui vno pariēq; iure; ob difficiles & argutas di-
sputationes euitandas, quas disparitas legum in contro-
uersis progenerat; omnes vti subditos vellet; eadem ra-
tione religionis vnum eundemq; cultum, secundum
morem & traditionem Romanæ ecclesiæ, in omnibus
sui regni partibus, esse vellet; piē sane et sapienter respō-
dit. Rex sum populorum, non conscientiarum. subin-
dicans non minus eos in pace tuendos, qui ex verbo Dei
suam religionem stabilitam adserunt, quàm qui eam hu-
manis traditionibus & autoritate maioris cuiusdam di-
gnitatis pertinaciter defendunt. Aliud præterea apoph-
tegma referam, quo superbiam & insolentem fastum
arguere Rex sapientissimus voluit. Cum ad bellum Mo-
schouiticum conscriptus miles congregaretur in loco defi-
nito, ex eo numero veniebat quidam eques nobilis Polo-
nus septem equis stipatus & veste magnifica valdeq; splē-
dipa indutus, se in conspectum Regis, per fenestram cun-
cta conspicientis, sistebat. Hunc visum Rex ē vestigio
ad se vocat rogatq; quot ille ad bellum equos expedi-
uisset. Septem respondit; ast ego, inquit Rex, hac veste
mutata octauum adderem maiusq; stipendium mererem.
Ille quidem pudore suffusus à facie Regis subtristis di-
scessit, sententiamq; meditando intellexit, non in vesti-
tus elegantia sed in animi robore veram laudem fortitu-
dinis consistere, atq; vt aliij fastum omnem inanem fuge-
rent, exemplo sanē oportuno fuit.

Sed si singula, quæ in hoc rege omnia admirabilia
fuerunt, perquireremus, tempus nos prius, quàm res
præclaræ de Rege Stephano commemorandæ deficerent.
Itaq; si vnū proposuero adhuc singulare, dicendi finem fa-

F 3

ciam

ciam. Nobiles ille viros aliosq; literis bonis eleganter eruditos singulari amore & beneuolentia complexus est, honoribusq; pariter & præmijs auxit & ornauit: est nobis huius rei argumento, præclara illa dignitas & prouisio Cl. V. Domini Pauli Otterbornij pastoris Ecclesiæ apud Caunenses, amici nostri studiosissimi, cui Rex in castris lauream donauit; ut est Pœta elegans & eruditissimus vir, & in omnium conspectu literarum honorem testatus est. Et quos Rex Stephanus singulari virtute præditos cognouit, eosdem, ut quo cæpissent gradu, persisterent, nec vlla se ratione à virtutis statu dimoueri paterentur, non minus exemplo quàm sermone pulcherrimo admonuit; idipsum quod Cyrus filijs, militibus suis inculcans, ὁ δὲ μία ἔτι καὶ καλὴ παραινέσις, ἢ τοῦ μὴ ὄντας ἀγαθούς, αὐτοῖς μερὸν ἀκρόασις, ἀγαθούς ποιήσει. ὅτε ἂν ἔν τοῦτό τις, εἰ μὴ ἔμπροσθεν τοῦτο μεμελετηκότες ἴεν. ὅτε δὲ ἀκροασις, ὅτε δὲ μὴ ἰπαέας, ὅτε δὲ μὴ τὰ γε σώματα ἰκανὸς ποιεῖν, ἢ μὴ πρὸς τὴν ἡσυχίαν ὦσι. Quæ verba latinè ita proferre possemus. Nulla tam est præclara & efficax admonitio, quæ simul atq; enunciatur, eos, qui boni non sunt, vno die bonos efficere possit. Itaq; non tela rectè iacent, qui non multò ante didicerunt, nec hi sagittis, neq; equis rectè vtentur, nec corporis labores probè sustinebunt, qui non ante his rebus bene exercitati fuerint, Naturam enim qui virtutis cognorat, facile, quod ex usu tum hominum tum Reip. esset, intelligebat: nec eum præteribat, quàm beata illa Respub. esse soleat, in qua sapientes præsunt populo, & virtutis sua laus tribuitur. Quàm rursus misera & prope deploranda Resp. ea sit, in qua nullus sapientiæ, pudori, & literis bonis locus relictus est. Hic enim omnia ad interitum spe stare ipsa ratio persuadet. illic verò omnia fore beata ac florentissimæ, & natura virtutum, quæ perpetua

petra est, & ipsa rerum magistra experientia comprobat. Quapropter nihil magis studiosum in rebus humanis, nihil dignius, nihilq; præclarius videri nobis debet, adollescentes studiosi & optimi, quàm vt iusta, recta & utilia tum autoritate sapientum virorum: tum exemplo heroum & præstantissimorum hominum discatis, & pro vera dignitate consequenda, opere felicissimè compleatis.

Sanè quoties ego animo mecum reuoluo felicem huius regionis administrationem; & quomodo optimi nostri principis Domini Vldarici Ducis Megapoleñ. &c. virtute, sapientiâ, pietate, tam lætâ, tam diuturnâ, tam vbere pace fruamini, non possum non vos beatos dicere. Et sanè Vldaricus optimus princeps & in Ecclesiam Christi & in Remp. singulari fide, animo & beneuolentiâ, suæ humanitatis, gratiæ & sapientiæ fructus (vt nomen factis plane respondeat) ad alios quoq; populos finitimasq; regiones pertinere facit.

Nec enim autoritate solùm apud principes Germaniæ plurimum valet & in regendis rerum etiam difficillimarum consilijs autor facile princeps existit: sed quoq; hæc schola Rostochiana benè feliciterq; constituta, vnâ cum prosperis auspicijs huius vrbis inclyti senatus, eam finitimis regnis provincijs & populis impertit benignitatem, vt postq; suæ gentis homines hîc benè excellenterq; eruditi sunt, suæ Reip. constituendæ & gubernandæ veram & beatam rationem consequantur. Itaq; cum in vestris Halcionijs Dei imprimis & præstantissimi Principis vestri amplissimiq; senatus beneficio concessis, in his turbulentissimis temporibus imperijsq; totius orbis ferè conquassatis et studia literarum nos Liunionj excolere, & veram de Deo doctrinam incorruptam, synceram, non labe hæresiu inquinatâ, non autoritate cuiusq; hominis conturbatam,

meis

64
117
8773
merito principi vestro Illmo & senatui inclytæ huius vr̃bis
amplissimo & vobis omnibus; quorum iam etiam summâ
cum humanitate & benevolentia contestata est grati-
as animo concipere & lingua proferre possumus, gra-
tias maximas agimus: Deumq; Opt. Max. in filio e-
ius Ihesu Christo Emanuele nostro, omnibus votis
precamur, vt vestræ Reip. & scholæ tranquillū,
quem habetis, statum, diutissimè saluum &
incolumem conseruet, & honore lite-
rarum, veritate & constantia
religionis, vbertate terræ &
omnium rerum felicitate
beet & au-
geat.

D I X I.



Q.K.
379,
17

De v
STE
MI F

CHRA

CHRIS



S

u
RI
Æ,

SE.

ZII,

